ſua quaſi matrem filius. Cui benignus magiſter de cruce
mulier inquit ecce filius tuus. ad diſcipulum autem
ecce mater tua ut virgo virgini cohereret et deſervi
ret officioſiſſime cura adoptionis. Non enim
pudiciſſima virginitas alicui diſcipulorum rectius quam
virgini commendatur. ut eſſet ad invicem grata ſo
cietas et floridus affectus nec non et venuſtius co
lore candidi vernans alternatim pudicitiarum ſplen
dor decoratus. Una ſiquidem virginitatis virtus
in ambobus. ſed altera proportio in maria. altera ſi
quidem quia fecundior ipſa vero ſed alta quia et
ſi ipſa eadem que incorrupcio. tamen fecunditas vir
ginitatis. longe glorioſior eſt quam virginitas. ideo
et fecunditas nulla tota deifica eſt et virginitas a
lioquin nuſquam ſecundum naturam naſcendi virginitas
ubi fecunditas predicatur. neque fecunditas ubi vir
ginitas integra conſervatur. ideo que totum ſuperexcel
lit de illa que dicitur quia ſit divina atque ineffa
bilis. Hodie glorioſa virgo maria celos aſcendit
virgo gaudete quia ut ita fatear ineffabiliter ſubli
mata cum chriſto regnat in eternum. Regina mundi ho
die de terris et de preſenti ſeculo nequam eripitur.
iterum dico gaudete quia de ſua immarceſcibili gloria
ad celi iam pervenit palacium. Exultate virgines et gau
dete. et letetur omnis orbis quia hodie omnibus nobis
eius intervenientibus meritis ſalus aucta eſt nobis
eam quoque diligentibus. honor et virtus una cum re
liquis virginibus ſacris amplior preſtatur et gratia.
Idcirco dilectiſſimi letamini et gaudete. quia ſi dominum ore